

cupio scire 5. Iulij, quanta sit latitudo solis ortiua, pono gradū solis, quem in dorso Astrolabij inuenio esse 13. cancri, præcisè supra horizontem ex parte orientis, & ostendunt mihi verticales inter gradum dictum, & æquinoctialis cum horizonte intersectionem intercepti 35. gradus latitudinis ortiuæ; quæ latitudo, quia cadit inter æquatorem & lineam meridianam, est borealis. Idem de latitudine occidua statuendum, quæ semper ortiuæ æqualis est. Sic Canc. maiori posito super horizonte obliquo, verticales intercepti ostendunt eius latitudinem ortiuam esse 25. grad. Australem. Primus gradus arietis & libræ, quia cadunt præcisè in intersectionem æquinoctialis & horizontis, nullam habent latitudinem ortiuam vel occiduam, sed sunt in ipso ortu vero.

Sic ex cognita latitudine ortiua seu occidua solis cognoscetur vice versa gradus Ecclipt. cui ea conuenit, hoc modo: Circumducatur rete, donec gradus aliquis Ecclipt. in finem cognitæ latitudinis præcisè incidat, is enim gradus est, qui quæritur, vel certe alter, qui æquali spatio ab eod. puncto tropico distat: duo enim puncta æqualiter à tropicis distantia, eandem habent latitudinem ortiuam, uti superius dictum est. Ut in Exemplo superiori, si ad latitudinem ortiuam 35. grad. quæras grad. Ecclipticæ seu stellam correspondentem, circumducto reti inuenies ad orientem 13. grad. cancri & crus pegasi habere talem latitudinem ortiuam borealem; gradum verò oppositum, nempe 13. capricorni, cum rostro corui habere eand. latitudinem, sed Australem, remouentur autem hæc puncta æqualiter à principijs cancri & capricorni.

QVATVOR COELI ANGVLOS SEV CARDINES, qui & centra dicuntur, determinare.

Propos. XXIII.

Solis altitudo per præcedentes regulas quæsitæ statuatur

E 3 inter